

Tertium argumentum multa complectitur, & desumitur ex spirituali & incorruptibili mentis alimento, ipsa nimirum veritate, quam sitit esuritque anima nostra, ex præteritorum memoria ac futurorum providentia, ex studio virtutis & famæ perennis consequendæ desiderio, ex conscientiæ stimulis quibus improbi in articulo mortis lacerantur, & ex conscientiæ bonæ testimonio, quod bonos mira dulcedine & inefabili quadam æternarum deliciarum prælibatione perfundit, ex consensu præstantissimorum sapientum tum apud Gentiles, tum apud Christianos, immo etiam gentium maxime barbararum, quibus sancta fuit sepulchrorum cura. Non leve etiam momentum habet consensus ætatum omnium, religio omnium populorum, qui inferos timent & colunt. Maximum quoque argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animarum tacitam judicare, quod nempe *omnibus curæ sunt quæ post mortem futura sunt* ex Tull. lib. 2 Tuiculan. quæst. Hæc autem omnia argumenta tantæ sunt evidentiam, ut animos quoslibet ingenuos & veri amatores de sua immortalitate invictè persuadeant.

Objic. I. Mens humana debet interire cum corpore, nascitur enim cum corpore, ergo non est immortalis. . . . Resp. N. ant. ad cujus probationem Dist. mens humana nascitur cum corpore, sed modo longe diverso, C. ant. eodem modo, N. ant. & Conf. Mentem humanam non interire cum corpore variis iisque invictissimis argumentis jam demonstravimus. Equidem  
ani-